

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4193

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Longueville-sur-Scie, Sainte-Foy (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1260, février

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, concède à ferme au prieuré de Longueville 71 acres et 43 perches de terre cultivée avec des cens et redevances d'Épinay.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1210, p. 334-335.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod nos priori de Longavilla Giffardi in Caleto et conventui loci ejusdem ad firmam perpetuam concessimus in firma de Espineto, pro quinquaginta novem libris et duodecim solidis turonensium nobis annuatim solvendis, medietate videlicet ad scacarium Pasche et alia medietate ad scacarium Sancti Michaelis, sexaginta undecim acras et quadraginta tres perticas terre arabilis, septem libras et sexdecim solidos censuales, unam libram piperis annui redditus, quadraginta et unum capones, et quadraginta denarios precarias carrucarum, releveia rusticorum et simplicem justiciam eorundem ; et de dicta firma, ut dictum est, solvenda iidem prior et conventus decem libras annui redditus percipiendas supra quoddam molendinum suum, situm apud Longamvillam extra propriisium suum, in contraplegium obligarunt, nobis una cum firma predicta perpetuo remansuras, si ipsos vel successores eorum a contractu hujusmodi contingeret resilire. Nos vero premissa eisdem concessimus, ut predictum est, salvo jure in omnibus alieno, et retentis nobis spate placito cum pertinentibus ad placitum spate, releveis feodorum lorice integrorum et partitorum, forefactoris, gardis et jure patronatus, si quod nobis competat ibidem. Si autem occasione premissorum inter dictos priorem et conventum ac homines tenentes de predicto feodo aliquam contingat oriri querelam, volumus quod ad primas assisias seu placita nostra sine dilacione et essonio audiatur, ac eciam terminetur. Nec poterunt dicti prior et conventus pro predictis aliquos in causam trahere, nisi solummodo coram nobis seu ballivis nostris, nec contra eos excommunicatione aliqua se juvare. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius, anno Domini M° CC° quinquagesimo nono, mense februario.